



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

Ill[ustriss]imo Ac Rev[erendiss]imo Domino D. Alphonso S. R. E. Cardinali  
De La Cveva.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10903**

ILL.<sup>mo</sup> AC REV.<sup>mo</sup>

DOMINO

D. ALPHONSO

S. R. E. CARDINALI

DE LA CUEVA.



Mplissimis & in omne æuum victuris. Viris PETRO PECKIO Brabantia, & HENRICO VVENO Gelria, Cancellarijs, hortantibus & adiutantibus, ante annos aliquot Tabulas ac Diplomata veterum Ecclesiarum Belgicarum, cum blattis ac tineis luctantia, à situ & putredine vindicare coepi. Illorum Centuriam vnam, familiae Serenissimorum Principum ALBERTI & ISABELLE CLARE EVGENIE Bruxellis adscriptus, & Bibliothecarij munere, licet indignus, per eosdem auctus, ne otio aulico torpescerem, vnum in corpus digessi, & typis ante triennium publicavi. Quod quidem nostrum aliquale in Ecclesiam ac Rempublicam studium, vtriusque ordinis, cum sacri tum politici, viris primarijs (absit verbo iactantia) mirificè placuit: qui ad reliqua id generis monumenta in lucem proferenda, me quàm monendo, quàm iuuando, non semel excitarunt.

Antuerpiam itaque, ad veterem nostram sedem ac domicilium postliminiò reuersus, animi causà, quasi aliud agens, Centurias istas duas, ex ingenti Diplomatũ seu Donationum piarum, varijs è locis ad me eruditjs ab amicis



missarum



missarum aceruo, seposui: quas nunc Illustrissimo ac Reuerendissimo nomini Vestro inscriptum eo.

Belgicarum porrò prouinciarum Historia, cùm ecclesiastica tum politica, hætenus obscura fuit, & Brabonicis, Forestaricis, Melusinicis alijsque fabellis impedita, & sexcentis erroribus intricata. Lotharingia nostra inferior seu Ripuaria ( quæ primum ac vetustissimum Principibus nostris titulum donat ) & Limburgum primos suos Duces; Luxeburgum, Gelria, Hannonia & Namurcum veteres suos Comites; Antuerpia nostra Godefridum Bullonium & alios suos Marchiones; Gandauum, Alostum, Arschorum & Strya suos item Comites; Bruxella, Brugæ, Ipra, Insulæ Flandrorum, Cameracum, Lensium, aliæque vrbes, opida ac municipia suos olim Castellanos seu Vicecomites ignorarunt.

Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis, Morinensis, Ultraiectinæ, Antuerpiensis, Gandensis, Brugenfis, Audomaropolitanæ, & aliarum Ecclesiarum cathedralium; Vedastini item, Blandiniensis, Bertiniani, Amandini, Maricollensis, Marchianensis, Hasnoniensis, Gemblacensis, Affligemienfis, Aquicinctini & aliorum illustrium monasteriorum nostratium veræ origines Cimmerijs velut in tenebris hætenus latuerunt. Ego pro virili meo lucem aliquam adferre conatus fui: & erit fortasse, si Deus vitam & otium dederit, cùm Annales Ecclesiasticos Belgij, exemplo magni illius Cæsaris Baronij (quem sequi iuuat, nam assequetur nemo) publici iuris faciemus.

Officium itaque, quod Religioni ac Patriæ quoquo modo præstiti, vt bonam in partem, *Illustrissime ac Reuerendissime Domine*, te conciliatore ac parario, omnes cùm ciues tum exteri interpretentur, Centurias istas duas eru-  
dito



dito ac polito tuo in sinu depono. Te, inquam, conciliatore, utpote quem istarum rerum & studiosissimum & peritissimum omnes sciunt & admirantur. De pietate, vitae morumque integritate, generis nobilitate, prudentia, & alijs eximijs Virtutibus tuis, velut in specula collocatis, de legationibus felicissimè obitis, ne gratiam captare videar, nihil hîc dicam: erunt alij qui facundiùs & vberius suis in commentarijs id præstabunt. Deum venerans precor, ut Te, ad vniuersæ Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ bonû, Nestoreos in annos seruet: & vnâ rogo, ut tuorû in numero clientum me porrò habere non graueris, qui tuarum tot illustrium Virtutum cultor ac præco (freudente nequidquam Inuidia) perpetuò existam. Antuerpiæ Kalendis Octobris, M. DC. XXVII.

ILL.<sup>ma</sup> AC REV.<sup>ma</sup> D. VESTRAE  
studiosissimus cliens  
AVBERTVS MIRAEVS.

IN.